

800.  
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI  
**BENEDICTI**  
DIVINA PROVIDENTIA  
**PAPÆ XIV.**  
**ALLOCUTIO**

*Ad Eños & Rños Dominos*  
**S.R.E. CARDINALES**

HABITA

*Die xxii. Julii MDCCCLIV.*

IN CONSISTORIO SECRETO

In quo Armenorum Ciliciæ electum Patriarcham  
confirmavit, eidemque Pallium concessit.



ROMÆ MDCCCLIV.  
Typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

БЕНИДЕТО  
АЛТИСІДІОВІ АНІВІЯ  
УІХ ЗФА  
ОІТУСІО  
СРІБЛІАНІЕ

Wysza Szkoła Pedagogiczna  
w Bydgoszczy  
Biblioteka Główna

52038

# CONSORTORII SECRETI

Actorum Series, & Argumentum.



Ita funeto Jacobo Vartabiet Armenorum Ciliciae Patriarcha, qui Petri Secundi nomen assumpserat, Archiepiscopi Catholici Armeni Ritus, simul congregati, Michaelem Monachum in Archiepiscopum Alepi, & Patriarcham Ciliciae Armenorum unanimi consensu elegerunt. Tum Electores, cum ipse electus Patriarcha supplicibus datis litteris tam Sanctissimo Domino Nostro BENEDEICTO Pape XIV. quam Eminentissimis Cardinalibus Sacra Congregationis de Propaganda Fide, ea, qua pars est, humilitate Sanctitati Sua supplicarunt, ut electionem, seu postulationem ejusdem electi, seu postulati Monachi Michaelis admitteret, & suprema sua Auctoritate confirmaret, ac Pallii honorem ei concederet, afferendo legitimas causas, quibus ad Urbem accedere posse praepediebatur. Totum negotium Sacra Congregationi de Propaganda Fide discutiendum Sanctitas Sua commisit; qua consulente pro confirmatione, & sanatione defectuum etiam substantialium, quatenus opus esset, sequenti edito Decreto, Sanctitas Sua ad prefatae electionis confirmationem devenit.

## III DECRETUM

Sacræ Congregationis Generalis  
de Propaganda Fide

*Habitæ die 6. Maii 1754.*



ELATIS per R. P. D. Nicolaum Lercarium Archiepiscopum Rhodiensem Secretarium Litteris Archiepiscoporum Armenorum Catholicorum Armeniæ minoris, & Ciliciæ, enixè supplicantium Sanctissimo Domino Nostro, ut dignetur approbare, & confirmare electionem, seu postulationem Patriarchæ Catholici pro Ecclesia Patriarchali Armeniæ minoris, & Ciliciæ, vacante per obitum Jacobi Petri Patriarchæ, a præfatis Archiepiscopis unanimi consensu peractam de Persona R. P. D. Michaelis Archiepiscopi Alepen. qui Petri nomen assumpsit, Eminentissimi Patres habita ratione de orthodoxa Fide, prudentia, zelo, ceterisque virtutibus ejusdem R. P. D. Michaelis, censuerunt, consulendum esse Sanctitati Suæ pro admissione electionis, seu postulationis, de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, necnon ut, prævia absolutione a vinculo Ecclesiæ Archiepiscopalnis Alepi, dignetur providere prædictæ Ecclesiæ Patriarchali Armeniæ minoris, & Ciliciæ de Persona memorati Michaelis Archiepiscopi.

Quam Sacræ Congregationis sententiam ab eodem D. Secretario relatam Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PP. XIV. in Audientia habita die 12. Maii 1754.

San-

( V )

Sanctitas Sua in omnibus benignè approbavit, & annuit.  
Datum ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis die 18.  
ejusdem mensis, & anni.

### S. Card. Valenti Præfetus.

Loco † Sigilli

Nicolaus Archiepiscopus Rhodiensis Secretarius.

Quare in enunciato Consistorio, postquam Eminentissimi Serbelloni, & Henriquez ex more os clausit, sic Sanctissimus Dominus Noster Eminentissimos Cardinales alloquuntur est:

### VENERABILES FRATRES.



CCE jam tertio ex hoc loco de confirmatione electionis, seu postulationis Patriarchæ Ciliciæ Armenorum Vobis verba facimus.

Neminem Vestrum ignorare arbitramur, multis ab hinc sæculis Patriarcham Ciliciæ Armenorum, transfugam ab hac Sancta Apostolica Sede, in schisma, atque hæresim ita defecisse, ut subiectos etiam sibi populos mortifera labe inquinaverit. Contigit autem, ut Petrus Abrahamus Vartabiet, Archiepiscopus Aleppensis, ad Monasterium in Monte Libano situm confugiens, atque ad infidelium persecutionem declinandam a sua Diœcesi

profugus , repente fuerit ab Episcopis Armenis Orthodoxis Patriarcha Ciliciæ Armenorum electus : Post quæ , cùm Romam venisset , legitimum electionis suæ documentum deferens , supplex a Nobis petiit , ut illam auctoritate Nostra confirmaremus , magnoque studio flagitavit , ut ipsi Pallium quoque elargiremur . Nos vero quibusvis illum Paternæ benevolentiae significationibus excepimus ; neque illi in gravissimo ac diuturno morbo , quo fuit in Urbe conflictatus , quidquam deesse passi sumus : ejus deinde confirmavimus electionem ; & , cùm ad publicum Consistorium accessisset , Fideique professionem emisisset , Nos ipsi Pallium ipsius humeris imposuimus . Eumdem præterea , cùm esset discessurus , sacra supellectili ad Pontificalia obeunda instruximus , eique viaticum ministravimus ad longum iter , quod suscepturnus erat , necessarium , quò faciliùs ad Sedem suam in Monte Libano reverteretur . Pervenit tandem feliciter idem Patriarcha Abrahamus Vartabiet , qui Petri I. nomen assumpsit , ad Monasterium Montis Libani , unde discesserat , & in quo necessariò consistere cogebatur . Ubi postquam Patriarchæ munere per octo annos functus est , in communione Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ex hac mortali vita migravit , mercedem accepturus ( uti sperandum est ) quam sibi in hoc vitæ curriculo comparavit : multa siquidem passus est in exiliis , in carceribus , & in cruciatibus , ut sedentes in tenebris , & in umbra mortis ,

tis, ad lucem, & unitatem Ecclesiæ revocaret, atque ab hæresis abyssō proriperet.

Quam ob rem Archiepiscopi Armeni Catholici simul iterum congregati in demortui Patriarchæ locum suffecerunt Jacobum Vartabiet, Aleppi Archiepiscopum, qui Petri II. nomen assumpsit. Hic autem cùm Romam se conferre nequivisset, ut suæ postulationis confirmationem a Nobis obtineret, acta necessaria, legitimusque Procuratorem misit, qui solemniter in Consistorio Pallium flagitavit. Quare, diligenter examinatis omnibus, quæ proposita fuerant, postulationem confirmavimus, honoremque Pallii ipsi impertivimus.

Contigerunt hæc anno universalis, quod proximè celebravimus, Jubilæi. At, cùm idem Patriarcha diem supremum obierit, iterumque Catholici Archiepiscopi Michaelem Petrum Monachum delegerint in Archiepiscopum Aleppi, & Patriarcham Ciliciæ Armenorum, tum electores, tum electus suppliciter de more postularunt, ut & postulationem confirmaremus, & Pallii honorem concederemus. Electus verò cùm legitimas afferre causas non omiserit, quibus ad Urbem accedere impeditur, totum negotium Congregationi de Propaganda Fide discutiendum commisimus; quæ, post accuratum examen, admittendam esse electionem, seu postulationem electi, seu postulati Monachi Michaelis censuit, eumque solvendum a vinculo Ecclesiæ Archiepiscopalæ Aleppensis, &

defectum omnem ; quamlibet substantialem , esse sanandum .

Porrò de electi , seu postulati persona nuncquam dubitavimus ; cùm Nobis perspectum sit , quatuordecim annorum spatio ipsum inter Monachos Ordinis Sancti Antonii Abbatis multa cum pietatis fama fuisse versatum , doctrinæ laude , & sacrarum litterarum scientia esse præditum , plurimosque impendisse labores , ut Catholicam Fidem tueretur , ac propagaret . Illud quoque lætitiam Nobis attulit , quod Monachus in Patriarcham delectus fuerit , juxta firmam , constantemque Ecclesiæ Orientalis disciplinam , qua ad Episcopatum assumi prohibetur , qui Monachalem professionem non emiserit : hac quippe ratione contingere nequit , ut Episcopus fiat , qui uxorem habeat ; quod sanè eveniret , vel saltem evenire posset , si Episcopalis dignitas simplici Sacerdoti conferretur , qui professus inter Monachos non esset : cùm , juxta totius Orientis , & Ecclesiæ Græcæ consuetudinem , simplices Presbyteri uxorem retineant , quam duxerunt , priusquam Sacris Ordinibus initiantur .

Illud verò grave ac difficile Nobis visum est , quod Monachus Michael ab Archiepiscopis congregatis Aleppensis primùm Archiepiscopus electus fuerit , ac deinde Patriarcha Ciliciæ Armenorum electus , sive postulatus . Archiepiscopi enim Patriarcham jure quidem suo eligere possunt , non autem Episcopos , & Archiepiscopos : horum enim electio

electio ad solum pertinet Patriarcham. Quapropter, cum Ecclesia Aleppensis suo viduata esset Pastor, & insimul Patriarchatus vacaret, nullo modo Archiepiscopi poterant Aleppensem Archiepiscopum eligere, sed progrederi debebant ad electionem Patriarchæ; cuius erat, postquam ad Patriarchalem Sedem fuisset electus, Aleppensem eligerre Archiepiscopum. Verumtamen erroris causam agnoscimus: cum enim predicti Archiepiscopi advertissent, duos ultimò defunctos Patriarchas ab Archiepiscopatu Aleppensi ad gradum Patriarchalem ascendisse, in eam devenerunt opinionem, ut crederent, Patriarcham constitui non posse, nisi qui Aleppensem Archiepiscopatum obtineret, aut qui saltem Episcopali charactere priùs esset exornatus. Attamen id longè a veritate alienum est: perspicue quippe in ipsorum Euchologiis legitur tum ritus eligendi Patriarchæ, eumque consecrandi, si Episcopali charactere destitutus sit, tum ritus ad Patriarchalem Sedem elevandi illum, qui jam Episcopali Ordine praeditus est: neque vero ullo modo decernitur, ut qui Episcopus, vel Archiepiscopus antea non fuerit, Civitatis, vel Provinciæ priùs constituatur Episcopus, vel Archiepiscopus, ut inde ad Patriarchatum transferatur: sed, cum Ordo Episcopalis Patriarchæ electo confertur, qui Episcopus non erat, Dei Optimi Maximi auxilium imploratur, ut ipsi in exercenda auctoritate sua in populos sibi subiectos opituletur.

Ita

Ita omnino contingit , cùm in Summum Pontificem renunciatur Cardinalis , qui antea Episcopus non existat . Non enim ille in Episcopum alicujus Civitatis consecratur , ut inde supremam totius Ecclesiæ Sedem concendat ; verùm , dum ipse Episcopali Ordine insignitur , enixis votis Deus invocatur , ut in pascendis ovibus universi Dominici Gregis opem , & auxilium illi suum imperiatur .

Hæc in expendenda postrema electione , sive postulatione Patriarchæ Michaelis , qui Petri III. nomen accepit , occurrit difficultas : quæ tamen non magni adeò momenti Nobis videtur , ut sanari auctoritate nostra minimè debeat etiam in substantialibus (juxta prudentem Congregationis de Propaganda Fide sententiam) tum electores , tum electum ab omnibus canonicis pœnis , quibus obnoxii facti sunt , absolvendo . Id enim a Nobis postulare videntur electorum bona fides , eorumdemque erga Sedem Apostolicam perfecta observantia , merita electi Michaelis , ejusque jam peracta consecratio , quæ quidem illicita si fuerit , validam tamen fuisse non est dubitandum . Expedire nihilominus arbitramur , ut electores , & electus ab eadem Congregatione opportunè salubriterque moneantur , ne in posterum in eumdem , quem offenderunt , errorem dilabantur . Hæc sunt , quæ significanda Vobis censuimus .

*Expli-*

*Expleta Allocutione, ad Ecclesiarum propositiones processum est. Eisque absolutis, ac præfatis DD. Cardinalibus Serbelloni, & Henriquez ore juxta morem aperto, D. Hieronymus Tozzi Consistorialis Aulæ Advocatus, una cum P. Desiderio a Casabasciana Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, speciali Procuratore electi Patriarchæ, a Primo ex DD. Ceremoniarum Magistris in Consistorium fuit introductus: quibus e regione Pontificiæ Sedis genibus flexis consenseruntibus, sic predictus D. Advocatus Tozzi apud Sanctitatem Suam institutus.*

## BEATISSIME PATER.

**N**SIGNIS Vestra Patriarchalis Ecclesia Nationis Armenorum, & Ciliciæ, Sanctitati Vestræ, & huic Sanctæ Sedi fide, ac devotione addicissima, humiliter postulat, ut Pallium de B. Petri Corpore sumptum, in quo Pontificalis Officii plenitudo una cum Patriarchalis nominis appellatione conferatur, Sanctitas Vestra tradi jubeat R. P. Petro Michaeli nuper ad eamdem Ecclesiam per Sanctitatem Vestram promoto. Pro quo obtinendo Pater Desiderius a Casabasciana, ejus specialis Procurator, ea, qua decet, reverentia, & humilitate supplicat instanter, instantius, & instantissime.

*Petitioni autem Pallii Summus Pontifex sic ex abrupto reposuit:*

LIBEN.

**I**BENTISSIME annuimus Pallii petitioni : Nobis notum est, Orientales Patriarchas , post receptum a Nobis Pallium , potiri privilegio illud concedendi Metropolitanis suæ jurisdictioni subiectis , juxta Decretalem Innocentii III. in Cap. *Antiqua* , de *privilegiis* , & etiam insigniorum Ecclesiarum Episcopis , juxta consuetudinem . Porrò nec privilegio , nec consuetudini derogamus ; sed tantum monemus , quod Patriarchæ jus , post receptum a Nobis Pallium , concedendi prædictis usum Pallii , restrictum est ad Pallium largius , & longius , Crucibus rubris ut plurimum distinctum , quod est Pallium Græcum , nec se extendit ad Pallium Latinum , quod ipse a Nobis recepturus est ; hoc enim ipse solus uti potest diebus , & locis præscriptis , nec ejus usum ulli alii concedere valet , cum Pallii Latini concessio soli Romano Pontifici reservata sit : quemadmodum etiam ingenuè admiserunt Patres Synodi Provincialis Libanensis habitæ sub Prædecessore nostro Clemente XII. anno 1736. , a Nobis confirmatæ , uti videri potest , ni fallimur , part. 3. cap. 6.

*Post hæc Sanctitas Sua juxta Decretum a se emanatum die 11. Martii 1745. absolvit a vinculo Ecclesiæ Patracensis Eminentissimum Serbelloni , eique in Titulum commisit Ecclesiæ S. Stephani in Monte Cælio , anulum Cardinalitium in ejus digitum imponens , eodemque ritu ipsamet præstitit erga Eminentissimum Henriquez a vinculo Ecclesiæ Nazianzenæ absolvendo , & Ecclesiæ S. Eusebii in Titulum committendo .*

Abs-

Absoluto autem Consistorio, quoniam prælaudati electi Patriarchæ Procurator P. Desiderius a Casabasciana optabat Sanctitati Sua ejusdem electi Patriarchæ nomine debitas impendere gratias pro tantis beneficiis, & honoribus sibi impertitis, cum id prestare in Aula Consistoriali minimè consuetum sit, Pontificis jussu in intimum suum Cubiculum evocatus, adstantibus, præter ejusdem Summi Pontificis Familiares, electis in eodem Consistorio Archiepiscopis, & Episcopis, qui Rocchetto a Sanctitate Sua dudum fuerant donati, nonnullisque ejusdem Armenæ Nationis Episcopis, & Presbyteris, in genua pro volutus sic Pontifici affatus est.

## BEATISSIME PATER.

**S**I pro amplitudine beneficij, quo Sanctitas Vstra ornare dignata est Reverendissimum Patrem Petrum Michaelem in Patriarcham Armeniæ minoris, & Ciliciæ, Cleri, ac Populi summa consensione electum, amplitudinem potestatis, & participationem quamdam Apostolicæ dignitatis per Sacrum Pallium ipsi largiendo, par mihi esset dicendi copia, si non pro meritis tanti Largitoris, saltem pro obsequio, & studio ejus, qui tantum ornamentum accepit, gratias ipsius nomine rependerem. Nunc verò, quoniam aut nulla, aut exigua nimis suppetit mihi dicendi facultas, satius præterire silentio duxi ea, quæ ad declarandum ejusdem electi grati animi officium necessaria essent, quam illud meis verbis pro dignitate prosequi. Verùm loco gratiarum actionis id solum memorasse sufficiat, quod obsequium Catholicæ Armeniæ Ecclesiæ Sanctitas Vstra sibi devinxit, quæ non solum laudatum Reverendissimum

Patrem, sed etiam duos proximos Prædecessores suos ornamen-  
to Pallii insignire, ac decorare non fuit dignata. Qua de re mihi ipsi polliceri liceat, quod sicut illi in obsequium Sanctæ Apostolicæ Sedis ad mortem usque persti-  
terunt, in Ecclesia Romana radicem unitatis Sacerdotalis,  
& fundamentum totius Ecclesiastici ædificii; in Sanctitate  
verò Vestra omnium Christianorum Parentem, & Supre-  
mum Ecclesiæ Hierarcham agnoscentes, & venerantes: ita  
fore, ut nuper electus idem obsequium, eamdem confessio-  
nem erga Ecclesiam Romanam, & Sanctitatem Vestram  
suis operibus, & exemplis cumulaturus sit, quo fiat, ut  
schisinatici, & hæretici, qui ab ovili Christi desciverunt,  
ejus exemplo moniti, vel pudore suffundantur, vel, quod  
maximè optandum est, ab errore revocati, in sinum Roma-  
næ Ecclesiæ sub tanto Capite, & Magistro reducantur.

Hujusmodi gratiarum actionem clementissimè Sanctitas  
Sua exceptit; subdens, acceptissimam sibi accidisse tum novi  
Patriarchæ electionem, petitam confirmationem, ac humili-  
mam Pallii postulationem, Armenorum Nationis filialem in  
Catholica Ecclesiæ, siue obsequio adhesionem, tum quoque  
Patris Desiderii pro tantis sibi ab Apostolica Sede deman-  
datiis negotiis absolvendis suscepit itinera, atque exant-  
latos labores. Eumque, ac adstantes Episcopos, & Presby-  
teros Nationis Armenæ post osculum pedis, Benedictione im-  
pertita, dimisit.





